





76

1767. 12.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
EXPLICANS  
**EXANTHEMATVM DIVERSORVM**  
COMPLICATIONEM ET VICISSITVDINEM

---

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICII  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
ET  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

**FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**  
PHILOS. ET MEDICINAE DOCTORE  
HVIVS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHAEI MEDICO  
PRACTICO CONSTITUTVO

**PROGRAD V DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. OCTOBR. A. R. S. C<sup>o</sup> ICCC LXVII,

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**THEODORVS ANDREAS GOTTHILFF KRÜGER**  
BEROLINENSIS.

---

HALAB MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

ALIOV. ET. V. C. S. T. M. I. C. S.

M. T. A. E. N. T. A. M. I. C. S. P. O. P. Y.

D. I. L. I. M. A. N. T. I. S. A. R. S. G.

S. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.

C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D. A. C. A. D.



V I R O  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMO LONGE CELEBERRIMO

D O M I N O  
IOANNI GEORGIO LESSER

AVGVSTISSIMI PRUSSIAE REGIS CONSILIARIO AVLICO  
ARCHIATRO ET EXERCITVM MEDICO METROPOLIS REGIAE  
ET CIRCVLI BARNENSIS INFERIORIS PHYSICO ORDINARIO  
COLLEGII MEDICI SVPERIORIS

REC NON  
COLLEGII QVOD SANITATI PVBLICAE INVIGILAT  
MEMBRO GRAVISSIMO

P A T R O N O S V M M E C O L E N D O

ET

V I R O  
EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO  
AMPLISSIMO

D O M I N O

FRIDER. AVGVST. REICHEL M

CONSVLI CIVITATIS HALENSIS DIGNISSIMO  
ET DE RE PVBLICA OPTIME MERITO

FAVTORI OMNI HONORIS CVLTV  
PROSECVENDO

NEC NON  
VIR O  
PRAESTANTISSIMO ET HONORATISSIMO  
DOMINO  
GEORG. GOTTHILFF KRÜGER  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS SECRETARIO AVLICO  
ET QVAESTORI PUBLICO EXACTISSIMO  
Patri Svo OPTIMO  
HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
STUDIORVM ACADEMICORVM SPECIMEN QVALECVNQVE  
CVM VOTO  
OMNIGENAE ET PERPETVAE PROSPERITATIS  
EA QVA DECE<sup>T</sup>  
VENERATIONE OBSERVANTIA AC CVLT<sup>V</sup> FILIALI  
SACRAM ESSE VVL<sup>T</sup>  
AVCTOR.




§. I.

Morbos quosdam suas seruare periodos, medicinam facientibus plane ignotum non est, atque inter illos quoque esse, qui, prisca licet temporibus vulgares fuerint morbi, apud plurimas gentes nostra iam memoria omnino evanuerunt.

§. II.

Morborum autem, praesertim epidemicorum visitudines saepius deprehendere licet, ita ut grassationis vices



dientidem permутent atque alii aliis cedant locum, saltē  
duos vel tres morbos epidemicos simul vno in loco saeuen-  
tes raro animaduertimus, imo vero sedulos obseruatores non  
fugiet, interdum vno in loco, prout sunt tempestates men-  
se fere quoquis alium qualemcumque p̄aeſto esse morbum.  
Ita per *Acta medica Berolinensis Vol. IV. pag. 23.* Obserua-  
tum est, morbillos anni 170 DCCXVIII. mense Augusto se-  
quutam esse dysenteriam, id quod idem anno 170 DCCXIX  
factum esse obseruatores condocent. Cuiusmodi aliasque  
morborum vicissitudines plures a medicis clinicis designatas  
hinc inde crebrius offendimus. *LANGISIVS oper Tom. I.*  
*pag. 96.* huic rei exemplo adſtipulatur p̄actico, dum refert,  
eo tempore, quo Romae anno 170 DCCV subitae et impro-  
vise mortis casus frequentiores inciderint, nullum aegro-  
tum febres vna grassantes rebus humanis eripuisse; quum  
vero mortis subitae casus cessauerint, exeunte vere anno  
170 DCCVI denuo esse observatum, febribus acutis et ma-  
lignis morbisque pectoralibus adhuc plures, quam antea  
morte subita acciderat, e vita discessisse.

§. III.

Verum enim vero haec aliaque eiusmodi obseruata  
p̄actica satis digna hic facere illuſtriora iam animus non eſt,  
viam mihi tamen parant ad aliud in morbis et chronicis et  
acutis nec infrequens phaenomenon nec insolitum, nimirum  
ad

*ad diuersorum exanthematum complicationem eorumque per  
vices successiones ac vicissitudines, quoad fieri potest, bre-  
uibus explicandas.*

#### §. IV.

Evidem non nego, hoc labore me meis quidem votis omnino non satisfecisse, nec etiam tot vires, nec tantum experientiae, quibus id praestare possem, in me esse sentio. Interim attentum me fecit haec res, ideo alios commilitones mecum in re eadem excitare auresque vellicare contendam. Id circa etiam facile, quod plane confido; benevolus lector condonabit, si quaquam satis cognita et nuper modo proposita e pathologicis hic plane missa ficerim, longior enim, quam par esset, meaque iam fert ratio, foret dissertatio. Collecto igitur tenui fasciculo ac veluti ichnographia quadam hoc munere fungi mihi iam sufficiet.

#### §. V.

Itaque sine ulterioribus ambagibus ad rem propositam ipsam accedo. Et quum pleraque fere omnes dissertationis paginæ exanthematum nomen præ se ferant et crepant, quid sibi velit haec appellatio, e pathologia in memoriam reuocasse, necessarium esse existimo. Exanthematum vero nomine, generatim accepto, nihil aliud scholæ medicae significare consueuerunt, quam illa omnia, quae motu interno

co-



coacta in cute eiusque reticulo spatio proprio, figura et colore peculiari inuicem distincta praeter naturam deposita conspicimus. Haberem hic omnino plura, quae quidem rebus distinguere, singula vero curate diuidere oporteat, quae a toto labore non essent aliena. At vero quia nostrum in finem haec iam nullum negotium facessere possunt, nihil de diuersa exanthematum figura, ipsorum colore variaque materia, quae in sanguinis, serni aut lymphae, quin plurimum subinde humorum simultanea inuicem prava mixtione et corruptione est posita, sum dicturus, neque etiam, quum diuersam humorum depravatorum indolem ubique satis et accurate non perspiciamus, de illorum discrimine, quod negrotorum diuersitas, aetas, sexus, temperamentum, vitae genus, aer et locorum qualitas important, acturus sum, nec quid haec omnia ad diuersam exanthematum indolem cognoscendam forte conferant, quia exanthematum pathologiam designandam non suscepi, iam non definiam.

#### §. VI.

Hisce igitur omnibus resecatis repetere sufficit, exanthemata esse vel sola vel cum alio quodam morbo coniuncta, atque eiusmodi morbum esse vel chronicum vel acutum. De solis exanthematis sine alio morbo coniunctis, ut achoribus, crusta lactea, scabie, purpura chronica, res non est obscura et de illis agere hic nihil attinet.

#### §. VII.

## §. VII.

Omnino autem exanthemata cum morbis chronicis coniuncta accidere, per obseruatorum non est incognitum, et praxis clinica adhuc hodie idem satis superque contestatur. E. gr. hydrops interdum soluitur scabie, paralysis purpura, quartana, malum hypochondriaco - hystericum scabie, purpura, et quae sunt alia.

## §. VIII.


Qua autem ratione fieri queat, ut in chronicis morbis efflorescant exanthemata, facile perspicitur; etenim non evanuis solum, quae iam antea fuere in corpore collectae, impuritatibus prouenire intelligimus, sed potissimum quoque in ipsis motus contra vitium visceris qualecumque restaurandum directos et suscepitos, resoluentes, orgasticos, congestorios et spasticos, sub quibus quasi postliminio humores etiam atque etiam concussi, dissoluti vehementer depravantur et in deterius ruunt, culpa & caussa videtur omnino transferenda.

## §. IX.

In febribus autem exanthemata praे reliquis morbis apparere solent. Febres quidem simplices intermittentes rarius eiusmodi complicatione aut consequariis sunt stipatae; non deerunt tamen casus, quos plures, quam quidem op-

B


nare.



naremur, praxis attenta suppeditabit. Ne autem frustra haec dixisse videar, vaicum saltem casum in rei illustracionem hic afferam. MEIBOMIUS dissertation. in FERNELII pathologiam, vidimus, inquit, hic superiori et hoc CLO DCLXXXI. anno in tertianis omnis malignitatis expertibus tertio quartoque paroxysmo desinentibus exanthemata a petechiis bene distinguenda; sunt enim cum tumore aliquo coniuncta, qualem in cute ab vrtica adusta obseruamus, pruriunt praeterea et cum febrili paroxysmo prorumpunt, cum eodem autem euanescent. His vero experientia edocti addimus, febres intermittentes, praesertim tertianae, quando statum epidemicum praese ferunt, pleraque in typum continuum degenerant, ita ut saepius non tam exanthematicas simulent, sed re vera cum ipsis exanthematicis complicantur.

### §. X.

Licet febrium intermittentium simplicium causa proxima quidem sit specifica et ab illa continuarum omnino diversa, atque antecedens frequentissime et verissime in primis viis ac vilceribus chylopoeis vitiatis haereat, vix tamen potest credi, solum peccatum ratione rerum sex nonnaturallum semper has febres producere, si in statu epidemico grauioribus symptomatibus, quam a commissis erroribus diaeteticis fieri solet, instar acutarum et malignarum decurrent,



runt, nisi varia alia depravatorum humorum vitia praecesserint. Quibus quidem deinde a primarum viarum colluvie sub motibus febrilibus magna fieri potest et accedere deprauandi et crescendi accessio, si pars materiae peccantis non parua sub frigore quidem resoluta, praeparata et ad excretionem in intestina progressa motus naturae culpa, malii praesertim regiminis vicio accidente, per vas a resorbentia in sanguinem aduehitur, adeoque sit morbus veluti consensualis et tralatitius, ac proinde magis ex alio loco, ac morbus residet, caussa affigere incipit. Et quum in febribus intermittentibus epidemicis, quae indolem malignarum et symptomata referunt, motus a natura magis ad peripheriam dirigantur, facto ita per resorptas varii generis impuritates miro magmate et cramate cum reliquis iam antea vitiatis humoribus facilime via paratur exanthematibus inde generandis.

### §. XI.

Sed progredior ad febres acutas malignas, quibus exanthemata frequentius solent interesse. In hisce vero sunt, quibus per essentiam et necessario exanthemata sunt coniuncta, quippe quae, febris si semel eruptionem parat, ad cunctem amandari omnino debent, ut sunt variolosa, morbillosa, vrticata; reliqua pleraque exanthemata ut febribus malignis illisque, quae malignitatis saltem habent consortia, ut



intersint, non adeo necesse est, vt sunt petechiae, purpura  
alba et rubra cert. Videntur quidem non raro perruptura,  
sed non semper omnino fieri soler, et plures febre petechia-  
li laborantes et sine petechiis et cum iisdem partim sanita-  
tem recuperarunt, partim exspirauere. At vero si dicen-  
dum, quod rei est practicae, eo tempore, quo petechiae et  
purpura epidemice graffantur, in compluribus aegrotanti-  
bus, si paullo curatius illos inspexeris, haec exanthemata,  
licet exigua quantitate, comparuisse licuit obseruare.

### §. XII.

Atque ita via munita, adire possumus ad ipsa exanthe-  
mata, et proprius intueri eorundem complicationem et vicis-  
itudines in febribus malignis. Varia et hic dantur exan-  
themata et diuersimode complicata reperiuntur; non tamen  
per singula eundo, sed racematim decerpendo rem expedi-  
am. Itaque primo eorum loco sint variolosa, peculiaria illa  
exanthemata secundum mira ipferum phaenomena. In his  
experientia docet, non raro accidere, vt interdum ab initio,  
crebro tamen sero ista cum purpura rubra vel alba vel pel-  
lucida, quid quaeris, interdum cum petechiis commixta si-  
mul prouenant, id quod indicio est, maiorem humorum  
adesse prauitatem febremque grauiorem praefere ferre mali-  
gnitatem. Ratione vicissitudinis exanthematicae hic singu-  
lare plane occurrit phaenomenon, tempore nimirum vario-  
larum

larum grassantium deprehendas nor adeo infrequenter pu-  
siones scabie aut achoribus infectos, et de improviso, medi-  
camentis ante frustra datis, sine damno recedunt eorumque  
vices quasi suscipiunt variolae, hisque demum superatis sca-  
bies et achores interdum noua efflorescentia solent apparere.  
Atque de morbillosis exanthematicis idem obseruatur, quod  
paullo ante de variolosis ratione complicationis est dictum,  
omnino valet.

§. XIII.

Ita saepius in febris exanthematicis expulsa una ex-  
anthematicum specie symptomata mitescunt aegerque sanitatis  
recuperandae spem facit omnem, sed subito nouus oritur  
labor et noua exanthematicum species expellitur et spem con-  
ceptum fecellit; his quoque secundae speciei efflorescentiis  
feliciter extrusis quandoquidem tertia, imo quarta species,  
licet raro, superuenit, et cumulatam plurium humorum  
prauitatem motuumque febrilium malignitatem indicant.  
Eiusmodi vero exanthemata specie diuersa in decursu febri-  
um obuenientia multo adhuc grauiora symptomata impor-  
tant. Ea enim est febrium exanthematicarum, praecipue  
malignarum, conditio, vt etiam vnica exanthematicum spe-  
cie stipatae aegrotos in anceps vitae periculum coniiciant, eo  
magis vero istos iugulent, si plura diuersa exanthemata vel  
successiue vel simul mixta prorumpunt. Ita petechiarum

B 3

cum



cum purpura rubra vel alba complicationem in praxi non raro obseruamus. De illa autem tamquam petechiarum consequario metuere possumus, si post petechiarum deflorescentiam nullum aegroti sequitur leuamen pluresque iam antea ita aegrotarunt, quod periculum eo grauius redditur, si petechiae multo serius et quidem mali coloris prouenerint. Et si vel maxime petechiae se per omnia rite se geserint, ratione efflorescentiae versus sextum vel septimum diem, et ratione boni coloris, atque etiam intra diem tertium euanuerint, attamen aeger non releuetur, nouum omnino latet qualecunque exanthema, quod intra diem XVII. vel XVIII., interdum citius prouenire solet, et, nisi trudauerit, morbi durationem de novo ad aliquot hebdomadas producit.

#### §. XIV.

Purpura rubra, alba et pellucida in febribus malignis saepe quidem solae sunt, partim tamen cum petechiis, variolis et morbillis coniunctae, partim horum exanthematum euadunt consequaria, imo vero inter se varias efficiunt mixturas et complicationes, ita purpura rubra et alba, alba cum pellucida simul existunt. In Miscell. N. C. Dec. III. a. 9. & 10. Obs. 187. pag. 329. D. MENTZELII exstat obseruatio de puerpera febri maligna miliari sive purpura alba cum vesiculis pellucidis seu Crystallinis laborante, vbi pag. 331.

hoc

hoc discrimen eo planius in oculos incurrit, dum brachia, inquit, manus, pe<sup>c</sup>tus et scapulae vbiq<sup>ue</sup> papulis albis, magnitudine semenis milii cum interspersis vesiculis pellucidis obscure apparentibus adspersa erant. Et RIVERIVS in praxi et Observationibus anno C<sup>CC</sup>XXX. Cent. I. Obs. XXI. hanc purpuram annotauit rubram esse sequutam, vbi nimis post rubrae deflorescentiam aeger non conualescet, cum quotidie inspexit, et tandem versus diem XVII. talem purpuram pellucidam de novo circa pe<sup>c</sup>tus et hypochondria deprehendit, quae vbi abiit, tum demum aeger sanitatem recuperauit.

## §. XV.

Haec purpura pellucida, diaphana seu crystallina, *der durchsichtige, Glas- oder Perlen-Friesel*, saepius in praxi clinica, quam quidem putauerimus, et plerumque periculosa occurrit. In purpura rubra et alba tam cuticula, quam corpus reticulare mucosum a materia stagnante deposita, in Purpura pellucida vero sola cuticula eleuatur, et hinc non adsunt noduli, sed vesiculae, et quum cuticula sola purissime pellucida sit, in pustulis non est color, quia materia hisce vesiculis contenta simplicissimae est consistentiae, scilicet aëreo-spirituosae. Obscure ob paruitatem appetet visumque non acrem plerumque solet fugere. In Miscell. N.

C.



C. Dec. III. an. 7. et 8. Obseru. 206. D. BRVNNEVRVS fa-  
tis dilucide hanc purpurae speciem delineauit.

§. XVI.

In infantibus nihil frequentius, quam scarlatinam  
cum purpura, scarlatinam cum rossalia complicatam depre-  
hendemus, et rossalia quum per se affectus infantibus ple-  
rumque sit periculosus, efficitur eiusmodi complexu, id  
quod forte sine eodem fieri potuerit, vt pauciores infantes  
inde eluctentur. Est quidem rossalia, quod nomen ab Ita-  
lis descendit, purpurae species, et maxime in infantibus ob-  
via, erysipelati potius, quam purpurae verae accedens;  
SENERTO et eius popularibus est quidem scarlatina, sed  
verum est inter scarlatinam, purpuram rubram et rossaliam  
discrimen. VALENTINI in praxi medicinae infallib. pag.  
650. rossaliam reste interpretatur per maculas volaticas, *den Flug, das Flug-Feuer.* Est huic affectui, quod germanice  
ita exprimitur, potissimum peculiare. Initio occupat pe-  
ctus cum febre, et locus affectus praebet colorem roseo-  
purpuratum; cutimque tantisper eleuatam reddit, ambitu  
palmarum aequans, supra se et infra album cingulum prac-  
se ferens, serpit et procedit inde pededentim ad partes ex-  
tremas, et si sub hac progressione orificia inferiora, vuluum  
et anum occupauit, plerumque per illa loca retrogreditur,  
quae retrogressio mortem omnino solet afferre. Quodsi vera  
eadem

eadem prietereunt partes inferiores, non pauci infantes, si a lactentibus plane discesseris, iusta medendi methodo possum seruari. Eiusmodi exanthematum simultanea proruptio tironibus difficile facit iudicium, ad quam classem talia mixta et complicata sint referenda. Ideoque KANOLDVS, ut attentionem practicam hac in re iacentat, in Collect. Vratislav. anno CLO DCC XXVI. mense Martio pag. 286. febrem scarlatino - vesicatoriam in virgine nobili XVII. annorum curatius referre annis est.

§. XVII.

Successiva igitur exanthematum perruptio esset quidem plana; at vero illa, quae varia et dissimilia vna proueniunt, non adeo sunt in promptu. Plane nihil etiam hic implicat. Quum enim exanthemata vel in vasis excretoriis serosis et lymphaticis vel extra vas ahaereant deposita, variae et dissimilis dyscrasia cacoehymica in corpore vna praefsto esse possit, vt in non paucis otiosis sedentariis, licet sat impensarum, sanguinem purum vt nanciscantur, in diactam et medicamentorum usum faciant, solet contingere, facili negotio id possumus arbitrii. In laesa profecto proportione motum ad humores et versa vice humorum ad motus ratio posita est praecipua. Qua autem posita impuritates, quoad eius fieri sufficiat, separari et excerni non possunt, serum ideo retentum lympham reddit spissorem, cum qua

C

fi

## XVIII

si humores falini et biliosi implicantur , sanguinis crastin , se-  
mel hanc ingressa , inficit omnem mirum in modum ; hinc  
non aliae , nisi dissimiles secretiones et excretiones fieri pos-  
sunt , praesertim quum impuris hisce humoribus motus ac-  
cedant febres , in quibus principes exerectorii potissimum  
tendunt ad peripheriam , adeoque a diuersa et dissimili plu-  
rium inuicem humorum , sanguinis , seri , lymphae et bilis  
corruptione , facile possunt dissimilia et varia simul generari  
exanthemata . Negari enim non potest , naturam satis esse  
compotem , quae innumeratas nouas , quas ne mente quidem  
consequi valemus , formet mixtiones .

## §. XVIII.

Quis igitur ex his omnibus non videt , maximam vim  
existere quorumuis exanthematum in aegrotorum corpori-  
bus vel ad sanitatem postliminio restaurandis , vel ab illa ad  
vitae discrimen accelerandis ? Quis autem non simul intelli-  
git , necessitatem vicissim existere eorumdem dignam et ma-  
gno opere utilem in clinicorum Medicorum cognitione ?  
Quare , nisi qui indolem exanthematum , vimque malignita-  
tis omnem , caussaque eas , quibus hominum corpora infe-  
stantur , penitus perspexerit , medendo , quod optat , perfic-  
cere non poterit .

## §. XIX.

## §. XIX.

Multa hanc in rem dici possent et plurima addi, sed haec sufficient. Atqui longis ex auctoribus investigationibus opus non est, sed futura, cuius gratia etiam hoc thema, rudi quidem ichnographia, proposui, attentione clinica, ut pote quae illa, quae desunt, facile supplebit, et quisque perspicit, quanti momenti hoc sit argumentum. Utilitas et veritas practica se offert ipsa, atque sui cognitione se vnicce commendat.

## §. XX.


Quum autem, vt cum G A L E N O loquar, neque propter se cetera omnia ad artem spectantia aut discimus, aut docemus, aut denique auscultamus, sed quod eorum vnum quodque sit ad finem vtile, (de V. Snc aduersus ERASTISTRATVM cap. 7.) non erit alienum, si aliquot cautiones clinico-practicas hisce allatis adiungam.

## §. XXI.

Quia pleraque exanthemata, praeter variolosa, morbillosa atque vrticata, non necessario in cute sunt deponenda, ratione methodi curandi, quam nouissimi quidam auctores, per vomitoria eaque iterata auertendi exanthemata, vnicce commendant, ne grauius quoddam in aegrotum admittamus facinus, non mediocrem diligentiam, sed omne

C 2

genus



genus cautionis oportet adhibeamus. (Vid. CAR. ALLIONI libell. de Miliarum origine, progressu, natura et curatione. it. WAGNERI methodus noua medendi in malignis, in der Hamburg. vermischtten Biblioth. II. B. 2. St. pag. 224. seqq.) Nisi plethora et nimius sanguinis orgasmus aliaque spongiosa contra indicent, sub initium febrium exanthematicarum lenia vomitoria, *euknidos* data, etiam iterata, non plane improbamus; etenim primarum viarum lenis vacuatio numquam per omnem febrium cursum est negligenda, interim eadem non semper per vomitoria, potest per aluum quoque laxiorem, clysteribus emollientibus, mannae, rhabarbarinis obtineri. Utique haerens in primis viis depravatorum colluuiis sui mora peior evadit ac facile per vasa reforbentia cum sanguine commixta inferre grauia potest symptomata, et, quod non est inficiandum, indolem febris et exanthematum adhuc maligniorem, et ipsa exanthemata, sine quibus forte febris desierit, demum efficere potest.


### §. XXII.

Vicissim autem in omnibus exanthematibus, praesertim febrium malignarum, plane nos abstineamus a calidis sudoriferis medicamentis atque aestuoso nimis regime; his enim accidere potest, neglectis forte primarum viarum vaccinationibus, ut hoc conamine per illa calida remedia colluvies ista, in primis si bilis specificie corrupta se illi immiscuerit,

rit, in sanguinem ita coacta eo facilius producat exanthema, saltem illa faciat copiosiora, quasi per metastasis imprudentia artificiali inductam. Quid quaeris? Ob nimiam sanguinis ebullitionem e contrario potest accidere, ut materia, in humoribus haerens et ad sui excretionem parata retro detineatur, supprimatur, atque eo grauitus afficiat viscera. Hinc utrumque aegrotus in vitae discrimen coniiceretur. Hinc illae lacrymae.

### §. XXIII.

Itaque semper ynice attendat medicus, quae nam excretionis species sit potissimum promouenda, hanc adiuuet et praefet prouidentissime, eoque, quoad eius fieri potest, annitetur, ne tam mortus, quam materias peccantes cum earumdem vehiculis habiles reddat atque ad liberum præparet et facilem exitum, et identidem aduertat animum, quae omittenda, quas autem excretiones deprehendit necessarias atque in primis vries, nullo modo eas turbet et contraria medicina supprimat. Ita exanthemata febrium symptomaticarum requirunt quidem sui curationem, sed caussa præcipua et commoda in hanc rem secretiones et excretiones non sunt negligendae, ne frustra atque in aegroti perniciem quicquam moliamur. Quodsi hydropi acceperit febris cum motibus febrilibus, hic diaphoretica, nedum su-



dorifera, forent plane absurdia et noxia, incidentia potius, resoluentia, temperantia, diuretica cum appropriatis vacu-  
antibus continuanda, quippe quae formitem morbi afficiunt,  
atque effectum salutarem edere possunt.

## §. XXIV.

Numquam medicus sit adiaphorus, nihil quidem dif-  
ferat, nihil tamen agat in contrarium, ideoque uno impetu  
quaevius tentare sibi non sumat, quod successive, maturo  
potius consilio et securius poterit efficere. Si duae indica-  
tiones vrgent et simul attigi nequeunt, tum satisfaciendum  
vtique est primariae, quae semper est praeferenda. In his  
igitur praeposteram fugiat sedulitatem, qua multa auxilia  
una et saepe contraria adhibere student, qua re efficitur, ut  
nullae indicationi demum satisfaciatur. Indicationes contra-  
riae, licet diuersa simul adsint exanthemata, citra necessi-  
tatem, nedum citra rationem, non sunt coniungendae,  
nec medicamentis pluribus cumulatius una mixtis tentemus  
id, quod uno vel altero remedio securius consequi pote-  
ramus.

*Eiusmodi Miscellanea sunt*

*Non bene mixtarum discordia semina rerum.*

*Atque ipse Medicus aequa se probat, ac*


*Humano capiti ceruicem pictor equinam*

Iuli-

*Iungere si velit, et varias inducere plumas  
Vndique collectis membris.*

## §. XXV.

Vires aegrotantis in complicatione exanthematum quo-vis modo conseruandae et excitandae sunt. Haec indicatio, quae non incongrue vitalis dici potest, eo magis obseruan-da venit, quo magis partim nimia excernendorum exanthe-matum diuersorum quantitas constantiam virium expellen-tium requirit, eaque absente sumnum periculum imminet, partim natura febrium malignarum epidemicarum, ex pre-a-fente simul destructione fluidi nerui ad defectum actionum plerumque inclinat. Frequenter itaque analeptica reliquis congruis remediis interponenda erunt, eaque talia, quae grata sensatione naturam excitant, et nullum tamen sanguinis orgasmum §. XXII. producunt. His frigidis analepticis adnumeramus consueta iulapia ex aquis refrigerantibus et syrupis analepticis composita. Singularem analepsin prae-stant paucissimae guttulae naphtharum vitrioli et nitri sac-charo instillandae, aqua multa diluendae, congruoque tem-pore exhibendae. Magnarum etiam virium sunt pulueres nigri Hallensium, qui admodum debilitatis et languescenti-bus vires patricis momentis restituerunt, vt id saepius N E N-T E R V S Fundam. Med. Theor. Prax. pag. 316. obseruauit: Hoc respectu praeclari etiam usus est, vinum leniter acidu-lum



lum maxime *vetus Rhenanum*, quod sufficiente phlegmate dilutum et copiose in languore motuum febrilium propinatum, omnium fere analepticorum virtutem superat longissime, dum acidum spirituosum neruis admodum est amicum. Quemadmodum enim vinum vigente febres calorem auget, ita deficiente necessario vigore eundem restituit. Neque auctoritate probatissimorum practicorum haec assertio destituta est; suo enim iam tempore SYDENHAM usum vini in debilitate sub febribus obueniente commendauit, et adhuc magis PRINGLE analepticam illius virtutem in febribus laudauit et observationibus illustrauit. Haec conservatio virium maximi omnino est momenti, quanea enim etiam adsit et copia et malignitas materiae peccantis, ea tamen superari et feliciter exanthematum forma excerni potest, si modo perpetuas actionum satis sit constans, moderata ac alacris, quare haec indicatio vitalis medico semper curae cordique esse debet. Saepius eundem in scopum quoque conducunt vesicatoria, quae vires exanthemata expellentes valdopere excitant. Hanc utilitatem primo HAMILTON in febre miliarie proposuit, postea vero plures observatores eandem per instituta experimenta comprobata inuenierunt. Optima etiam tam ratione quam egregio cum effectu imponuntur vesicatoria brachii et suris simul ad exanthematum eruptionem promouendam, quia hoc modo fibrae nerueae relaxatae in variis locis stimulantur, ut matem  
riam

riam exanthematicam prompte et magis in vniuersa peri-  
phera excutiant.

### §. XXVI.

Numquam medicus nimis sit securus, sub specie calo-  
ris naturalis simul malignitas et exanthemata, praeſertim si  
laborat mens, delitescunt; febrium exanthematicarum in-  
duciis, vna exanthematum specie licet iam abacta, ne falla-  
tur a tam subdolo morbo, caute et attente agat omnia, latet  
ſaepe adhuc aliud exanthema et febris de nouo quaſi caput  
extollit, quibus induciis quum credideris fuerisque negli-  
gentior, quos feruare per DEVVM potueris aegros, vita tum  
illos non raro tua culpa priuabis. Et ſic ſaepē a posteriori  
quidem, ſumma fuiſſe malignam, obſeruabis et cum de-  
decore, quod vel maxime non decet medicum, dices, non  
putaram.

### §. XXVII.

Atque illos aegrotos, qui febre exanthematica plane  
ſoluta versus vſperam febriculae lenteſcentis ſchema adhuc  
praeſe ferre videntur, debitis ac conuenientibus medicamen-  
tis, ne quid magis ſonticū oriatur, porro accurare non ob-  
litiscatur. Idque aequem magis erit neceſſarium in chronicis  
exanthematibus, quippe in eiusmodi aegrotis, licet exanthe-  
mata

D

mata



mata plane abierint, ob vitia certo in visceribus latentia, deficationes, obstrunctiones nodosas, scirrhosas, motuum lentementium vespertinae exacerbationes perseverantes multo sunt ominosiores.

## §. XXVIII.

Et quum epidemiae tempore a medicis quibusdam duplice non raro modo soleat peccari, dum quidam mortis timore arbitrantur, de vita sua esse actum, si aegrotos febribus exanthematicis correptos inuiserint, et si demum accesserint, procul a lecto et aegro ceu procul a fulmine affident; quidam vero vel eodem timore commoti aut laborum detrectatione adducti aegrotis visendis sibi non vacare caussantur, se aegrotos tales iam complures et vidisse et curasse, domi praescriptis medicamentis aequre bene, quam coram ipsis prospicere se prodeesse posse, non opus sibi esse inspectione, haec sanctus et religiosus medicus a se abesse iubeat, Deo confidens etiam in hoc aegrotos visendi munere diligens sit et sollicitus, sit ipsi religio, quicquam facere, quod existimat, posse displicere DEO ac nocere aegrotis, secum cogiter, saluo officio, salua fide non posse, quin aegrotis, in eiusmodi morbis humanissime ac diligentissime inuisat. Ex infidis profecto, imprudentibus, turbulentis, negligentibus nunciis de aegroti constitutione, morbi indole aliquae necessariis

sariis non ita, ac oportet, fieri potest certior, vnde nec debitum praestare auxilium, adeoque neque aegrotis, neque sibi satisfacere poterit. Etenim magnae latebrae sunt in his exanthematibus malignis, magni recessus. Interim aliquid fieri solet. Atqui sic medicus in visendi munere negligentior vel e DAVO quodam, nuncio, serius quidem et non sine mentis conscientiae labore tandem discat, peiorem esse morbi indolem, quam putarat, tum profecto saepius docta plus valet arte malum.

## T A N T V M .



D 2

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

# CANDIDATO

S. P. D.

**ANDREAS ELIAS BÜCHNER**

FRIDERICIANAE H. T. PRORECTOR.

Excellens, quo alii praे aliis eminent, ingenium, nec laudem  
in se, nec vituperium meretur, cum, tamquam benignissimæ  
Naturæ donum, a coelo in mortales dimittatur: sit tamen,  
vt adeo nos, nescio quibus illecebris, ad se trahat, vt non possi-  
mus non eos, quibus contigit, suspicere, amare. Amavi TE  
ideo, PRAENOBILISSIME CANDIDATE, nec odiisse eum potui,  
quem, quantum TE, amavit Natura. Id etiam in laudem TVAM  
cedit, quod plures, quam mos fert, annos Medicinae addiscen-  
dae dicaueris. Si quae vñquam enim scientia, Medicina certe  
operam, studium, tempus requirit, cum generis humani felici-  
tati destinata sit, nec, leuiori notitia acquisita, absoluta dici  
queat. In eo demum est, vt TIBI ab Ordine Medicorum gra-  
tioso decretus summus in Medicina Gradus conferatur, de quo  
merito et ego laetor. Gratulor itaque TIBI de isto honoris  
augmento, DEVVMque T. O. M. precor, velit omnia TVA co-  
namina in patriæ et aegrotantium salutem dirigere, vertere.  
Vale meque, quod hucusque fecisti, ama. Dab. in Frideric.  
d. III. Octobr. MDCCCLXVII.

PRAE-

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

XIX

S. P. D.

**IO. PETR. EBERHARD**  
MED. PHILOS. ET MATH. PROF. PVBL. ORDINAR.

**M**aximopere sane laetor, dum TE, PRAESTANTISSIME DO-  
MINE CANDIDATE! quem in scholis meis physicis et medicis,  
diligentem admodum habui Auditorem, iam animaduerto ex-  
ornandum Honoribus in Medicina supremis. Probasti Facul-  
tati nostrae Medicae, egregios TVOS in arte salutari profectus,  
et ita quidem probasti, vt fausta quaevis atque praeclara de-  
egregio ingenio TVO sperare nobis omnibus licet. Sue-  
ta examina cum laude sustinuisti, et nunc publice quoque de-  
monstrabis TE non inutiliter transegisse tempus vitae TVAE  
academicae. Habeo itaque quod TIBI gratuler, et profectus  
TVOS egregios, et dignitatem Doctoralem TIBI mox conferen-  
dam. Perge hoc modo, et progredere in coepio laudabili tra-  
mite, PRAESTANTISSIME KRÜGER! quod si feceris, vtique et  
vtilissimus olim eris rei publicae, et salutaris aegrotis. Vale.  
Dab. in Reg. Frider. d. I. Octobr. cl<sup>o</sup> 1000 LXVII.

D 3

CAN.

# CANDIDATO DIGNISSIMO AMICO OPTIMO

S. D.

H. C. REICH

M. C.

Quod optauit saepius, vt possem TIBI publicum aliquod amoris erga TE mei monumentum sancire, id mihi contigisse maxime laetor. Nam cum me elegeris, cui disputandi publice TECUM prouinciam mandares, amplissima mihi oblata est occasio significandi et TIBI et aliis quam vehementer TE diligenterem sed profecto non vna exstat causa, cur TE amem. Ut enim, cum primum me videres statim aditum ad amicitiam mihi TVAM aperiisti, ita me in amicitiam TVAM receptum eo amore prosecutus es, qui in amicos eosque integros cadit, atque plura etiam, quam exspectaueram mihi dedisti verae amicitiae documenta. Quae quidem etsi vel sola fatis valebant ad amorem meum TIBI conciliandum, tamen praeter haec inueni multa maxima admiratione atque amore digna. Nam cum animam integritate atque magnitudine mibi TVVM commen-  
dasti, tum vero etiam egregia TVA et literarum elegantiorum

scien-

Scientia et praesertim rei medicae peritia, ita me affecisti, ut  
amori erga TE profecto cederem nemini. Sed spei meae, fo-  
re ut tantorum bonorum praemia TIBI offerantur, iam satis-  
factum est a praestantissimo Medicorum ordine, qui summos  
TIBI in arte medica honores ita decreuit, ut cum omnes, qui  
te noscunt, tum vero ego iure quodam meo TIBI possim  
gratulari. Viue diutissime, mi KRÜGERE, ut ipse fruaris  
felicitate TVA, ut Parentes optimi votorum compotes fiant, ut  
aegroti habent, ad quem, rebus trepidis, confugiant, ut ami-  
ci denique amicum diutissime venerentur longe optimum.  
Vale. Dab. Halae ad Salam d. II. Octobr. MDCCCLXVII.



V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,  
**DOMINO CANDIDATO**

AMICO SVO AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

**IO. GEORG. FRIEDERICVS BÜCHNER,**

M. C. OPPONENS.

Cum vitam TVAM academicam nunc ad finem perducis ex-  
optatum, summiq[ue] ab Illustri Medicorum Ordine iam TIBI  
collati

collati sunt honores , facere omnino non potui , quin etiam  
iis accenser , qui hodie animi uoluptatem , mentemque decla-  
rant . Postulat id summa , quae inter nos floruit , amicitia ,  
quae a me nunquam violari debet , vt me iam accingerem ad  
amicorum TIBI congratulantium nnmerum . Accedit ad hoc ,  
quod me , cui dissentientis partem obtulisti , reputaueris di-  
gnum , adeoque nouum TVI erga me amoris et amicitiae do-  
cumentum mihi exhibuisti . Lubens igitur id , quod mihi de-  
mandasti , officium , in me suscepi , ex ea ratione , vt istud no-  
strum amicitiae vinculum maiora acciperer incrementa . Gra-  
tulor itaque mihi de hac indulgentissima erga me amicitia ; gra-  
tulos etiam TIBI , AMICE SVAVISSIME , de egregiis in arte sa-  
lutari acquisitis honoribus . Faxit igitur supremum , quod  
cuncta regit , Numen , vt omnia in eius gloriam et proximi  
emolumentum felicissime TIBI succedant , quo OPTIMVS PA-  
RENS ex laboribus TVIS et conatibus practicis senectutis oble-  
etamentum percipere possit atque solatum . Vale , mihi que  
impostorum , si merebor , faue .

ETIENNE EUSTACHE LEONARD . OI

1820-01-01 . 5 . 1

Exhibuit etiam de omni tractus de maximo miliu  
m et conatu . O amicorum influti da emplumam .

W

Wie die zärtlichste Gattin den Arm des theuren Geliebten,  
Trunken von Freude, umfasst;  
Wie sie schön nach ihm blickt; nicht spricht, nur denkt und empfindet,  
Was sie nie stärker empfand —

Freund! so gehet Dir heut der Musen schönste zur Seite,  
Kränzet mit Lorbern Dein Haupt.  
Sieh! Sie winkt zum Parnas — Schnell rufen die himmlischen Schwestern  
Laut ihren Beifall Dir zu.

Las mich, würdigster Freund! des Herzens heilige Regung,  
Die unsre Freundschaft gebahr,  
Las mich, stärker entflammt im Deinen Busen sie schütten  
Und dann erkenne den Freund.

Ruhm umkränzt Dein Haupt! Nicht Ruhm, den der wütende Krieger,  
Stampfend auf Leichen, erfährt:  
Nein! zum Besten der Welt, entrücket dem Mörder der Menschen  
Deine Hand plötzlich den Raub.

Greise danken Dir einst das Glück, noch länger zu leben;  
Elende wimmern nicht mehr,  
Wenn Dein untrüglicher Mund der Gesundheit Hoffnung verheisst —  
Folksam gehorchen sie Dir!

Freund! gebrauche die Kunst, die Aeskulap uns gelehret,  
Zu Deiner Miehbrüder Wohl!  
Segnend blicken sie dann zu Dir, ihrem einzigen Retter  
Und Deine Seele fühlt Lust.

Aus wahrer Freundschaft widmet diese Zei-  
len zum unveränderten Andenken

Christian Adolph Helwig,  
aus Liefstand, d. A. G. B. Oppon.

E

VIRO

V I R O  
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**THEOD. ANDR. GOTTH. KRVGER**  
 SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
 CAPESENTI  
 S. P. D.  
**ADOLPH. GODOFR. REINHARDT.**

**I**am satis Musis operae sacrasti,  
 His manus struxit **TVA** nunc sat aras  
 Hic, quibus sollers, *Pylades*, litabas!  
 Aufuge de hinc!

Perge, nam dudum reuocant paterni  
 TE lares, iustos ut iis honores  
 Rursus exsolvas, nec iis recuses  
 Thura referre.

Quid manes? dudum **TIBI** met Camoena  
 Serra necebant, sapiensque Pallas,  
 Ut caput dignum decorarer, altrix  
 Obtulit illa.

Illa suspensus quid adhuc repellis?  
 Non mouent temet pia ciuitatis  
 Vota? non **TE** vox patris, et cohortis  
 Clamor amicae?

Nonne

Nonne spes aegri? grauibus repressus  
Qui malis tardos oculos retorquet  
Ad TVVM aduentum, medicamen vt sis.  
Aufuge dehinc!

Ecce! IVNCKERVS celebris coronas  
Obtinet, quas ex manibus Mineruae  
Cepit, vt TE illis hodie coronet.  
Haud mouet id TE?

Ne moreris, sed capias honores  
Qui TIBI pridem bene iam federent,  
Me licet flentem, Pylades, relinques  
Nunc abiturus.

Lacrymor, quaeſo lacrymere mecum,  
Oſculum memet dare demigranti  
Ultimum flentem patiaris, et tunc  
Aufuge dehinc!

V I R O  
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
**THEOD. ANDR. GOTTH. KRVGER**  
AMICO SVO PERQVAM COLENDΟ  
S. D. P.

ERNEST. LVDOV. HEIM.

Hae litterae meae si apud TE tantum valerent, vt mei arden-  
tissimi



tissimi erga TE amoris summaeque obseruantiae testes quamvis non locupletissimas esse putares, me iam omnia adeptum arbitrarer. TVAM incredibilem doctrinam, singulareque ingenium admiror, semperque ita admiratus sum, vt nescirem, an TE, quum iam mihi vel indigno summa TECUM amicitiae iura intercederent, magis colere deberem et obseruare, quam diligere. Doleo quidem ex altera parte vicem meam, quod iam propter TVVM discessum in eo est, vt non amplius ex doctissimo Tvo sermone vberrimi in me fructus redundare queant, sed ex altera parte laete praesentio, quam multas utilitates tota patria, tota TVA ciuitas, tot aegrotantes ex TE dignissimo Aesculapii filio sint capturi. Hodie in cathedra collocatus, quanta TVA sit laus et gloria, quantaque futura fint TVA in rem publicam promerita, satis superque significasti. Et quin TIBI hunc diem gratuletur, erit, vt arbitor, profecto nemo. Gratulor itaque TIBI illum, gratulor diligentiam TVAM. Cape summos, qui iam TIBI offeruntur, quibusque iam pridem quisque TE bonus dignissimum censuit, honores! Perge, quo coepisti, me amare, et festina etiam, me inuito, in ciuitatem TVAM, resque TVAS ibi feliciter age. Vale. Dab. die XXX, mensis Septembris, cccclxvii.



Halle, Diss., 1766-67

ULB Halle  
002 057 565

3



St

Retrov



B.I.G.



DISSE<sup>767/12</sup>  
TATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
EXPLICANS  
**EXANTHEMATVM DIVERSORVM**  
COMPLICATIONEM ET VICISSITVDINEM

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

PRAE<sup>1</sup>SIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

**FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**

PHILOS. ET MEDICINAe DOCTORE  
HVIVS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHAEI MEDICO  
PRACTICO CONSTITUTVO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. OCTOBR. A. R. S. CLO<sup>1</sup>CC LXVII.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

**THEODORVS ANDREAS GOTTHILFF KRÜGER**  
BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS MENDELIANIS.